

## C. PLINII CAECILII SECVNDI EPISTVLARVM LIBRI

### VII, 5

Magno se Calpurniae uxoris absentis desiderio teneri significat; et descriptionis quidem talis est effectus, ut miserati-  
nem commoveat sui.

GĀIUS PLĪNIUS CALPURNIAE HISPULLAE SUAE SALŪTEM DĪCIT.

- 1 Incrēdibile est, quantō dēsīderiō tuī tenear. In causā amor p̄imum, deinde, quod nōn cōnsuēvimus abesse. Inde est, quod magnam noctium partem in imāgine tuā vigil exigō ; inde, quod interdiū, quibus hōrīs tē vīsere solēbam, ad diaetam tuam ipsī mē, ut vērissimē dīcitur, pedēs dūcunt ; quod dēnique aeger et maestus ac similis exclusō ā vacuō līmine recēdō. Ūnum
- 2 tempus hīs tormentīs caret, quō in forō et amīcōrum lītibus conteror. Aestimā tū, quae vīta mea sit, cui requiēs in labōre, in miseriā cūrīsque sōlācium. Valē.